

1533 videbatur. Hinc atque inde strenue, & intrepide dubio Marte pugnatur; dum complures, qui in Alexandrina triremi Janizzeri aderant, fortiter nostrorum impetum sustinerent, nihilque eorum prætermitterent, quæ in re ancipiti ab animo, ac virtute peti subsidia possent. Verum cum fessis recentes milites a triremi, quæ Canalis prætoriæ propinqua erat, submitterentur, Maurus octo vulneribus transfixus, spe abjecta, inops animi in mare se projiciens, vitæ per fugium alia in triremi quærebat. Illum adnatantem, & semivivum ignorans quisnam esset, miles conficere annixus, vix se prodentem continuo e fluctibus extraxit, atque ad conspectum Canalis præfecti perduxit. Capto duce, prætoriaque triremi in potestatem nostrorum redacta, reliquæ facile oppressæ fuere: quatuor captæ; duæ disjectæ, ac fluctibus absorptæ; reliquæ, opportune arrepta fuga, salutem sibi quæsiere: barbari ad unum omnes interfecti.

*Maurus
Alexandri-
nus vulne-
ratus a Ca-
nali cū tri-
remibus ca-
ptus.*

Ex hoc eventu ingens milites, & Cretenses populos lætitia incescit, quod præclaram adeo victoriam exiguo temporis momento per summam virtutem Canalis consequutus esset. Qui vero maturius factum pensabant, rem omnem secus animis expendebant, cum Suleimani inde irarum impetum in Venetos effusurum vererentur, quod cum ea classe certatum esset, quæ non piratarum, sed ipsius auspiciis navigaret. Ea re commotum præpotentis, ac supra mortalem fastum elati animi Principem, rupto fœdere, bellum Venetis illaturum pertimescebant. Itaque Cretæ magistratuum, ac maritimorum perfectorum concilio coacto, multis disceptatum; tandem decretum est, ut triremes Turcicæ in Africam mitterentur; ad meliorem spem Mauri juvenis animus erigeretur, commissoque prælio error noctis obtenderetur. Prælii vero hujus nuntiis Venetias perlatis, vehementer Patrum animi commoti sunt; inde quamplurima incommoda suboriri Reipublicæ posse veriti, quod Suleimanum æquo animo tantam injuriam minime laturum arbitrarentur. His accesserat, quod cum ob modicos segetis proventus hoc anno annona laboraretur, liberaliter frumenta e suis regionibus asportandi facultas Venetis concessa fuerat; atque de iis, quæ Mauro acciderant, certiores facti, Principis injussu, Turcæ ministri naves, quæ

ad

*Turcicæ
triremes a
Cretæ magi-
stratibus in
Africam
mittuntur.*

*Venetæ na-
ves frumen-
tis onustæ a
Turcis de-
tentæ.*